



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola I. Ioannis Papae VIII. Ad Bosonem Comitem. Agit gratias, quod eius opera legati ad imperatorem peruererint, & illis iniuncta confecta sint; eumque rogat, vt quamprimum auxilia sibi contra ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

IOANNIS PAPÆ VIII. EPISTOLÆ. 3

papa sed papissa originem sumpsisse, non male fortasse sentiret. Hæc ex Niceta & Aimoino Baron. tom. 10. in vita Ioannis.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ VIII. AD BOSONEM COMITEM.

Agit gratias, quod eius opera legati ad imperatorem peruerint, & illis iniuncta confecta sint; eumque rogat, vt quamprimum auxilia sibi contra Saracenos mitten-da curet.

Ioannes episcopus Bosoni illustrissimo comiti.

CARISSIMÆ tuæ nobilitati laudes Christo Domino referentes, gratias agimus, & hanc præconiis efferentes, in eodem Domino gratulamur, cuius gratia nostro fultus amore, missis apostolicæ nostræ sedis, facilem aditum perueniēdi ad serenissimi domini Caroli semper Augusti spiritualis filii nostri præsentiam, non indebita tribuisti; & vt ea, quæ sibi a nobis dicenda iniuncta fuerant, aure suæ pietatis adiuerteret, & ad congruentem effectum perduceret, suadere curasti. Quod cum Deus omnipotens imperatoriæ magnitudini, vt fieret, inspirauerit; te tamen, qui nostri studii cooperator effectus es, admodum collaudamus, &, vt diximus, gratias tuæ industriae referentes, & pro his & pro aliis retribuere tibi vicissitudinem non omittemus. Nec non & quidquid honori tuo congruit, vel ad vtilitatem tuam crescere cognouerimus, incunætanter exequi procurabimus; & grato amore, adiuuante Domino, quo usque perficiamus, elababorabimus. Tu vero, fili carissime, sicut coepisti, ad infidelium nostrorum, vel sanctæ Dei ecclesiæ aduersantiū tyrannidem funditus abolendam magis ac magis insiste; vt qui sanctam Romanam ecclesiam in multis lade-re non formidarunt, tali sententia, imo iudicio percellantur, vt deinceps, quemadmodum es pollicitus, recuperationis locum nunquam inueniant. Ceterum quia pro maxima necessitate huius nostræ regionis, quam Saraceni pe-ne totam depopulati sunt, audiuimus imperiale adiutoriū usque ad nos esse mittendum; gloriam nobilitatis tuæ ni-mium deprecamur, vt idem adiutorium, vel virorū exer-citum, qui vtinam iam præsens adeisset, nullo modo illis in

Concil. Tom. 24.

De Bosone
Reginoli, 2.
chron. Ai-
moin. lib. 5.
cap. 24. 27.
32. & aliis in
locis.

A ij

4 IOANNIS PAPÆ VIII.

partibus morā pati permittat. . . . veniendo eos exhorteris,
vt vrgeas, viriliterque quoisque veniant, pro Dei nostro
que amore infistas: quia nisi citissime venerint, & nobis
opem contulerint, peiora prioribus fieri formidamus; ac
per hoc domno imperatori peccatum & damnum oriri
poterit, & quia ecclesia Dei, vel oves pascuæ eius fortiter
discerpuntur, ipsum nomen Christus, quod absit, in gen-
tibus blasphemari. Data Kalendis Septembbris, indictione
decima.

EPISTOLA II.
IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM REGEM.

Dissensiones inter ipsum & imperatorem scribit se non
posse sedare, nisi alteram prius audiat partem: interea
monet, vt pacem cum omnibus, & præcipue cum im-
peratore seruet, & subiectos compescat.

Iohannes episcopus dilecto filio Hludouico glorioso regi.

EPISTOLAS tuæ dilectionis, non quidem diuersas sus-
cepimus: quas relegentes, ea in eis reperimus, quæ, ni-
si nos carissimi filii nostri serenissimi quoque imperatoris
domni Caroli semper Augusti prior querela pulsaret, non
solum admitteremus, verum etiam priusquam putares in-
uestigaremus, atque discuteremus, rectique lance libra-
minis, quod & facturos nos, Deo iuuante, confidimus, pen-
faremus. Sed quia vna pars sine altera facile audiri non de-
bet, interim deliberatiue non scribimus: quin potius glo-
riam tuam monemus, & auctoritate apostolica obtestar-
mur, vt pacem cum omnibus, & præcipue cum eodem im-
peratore conseruans, tibi subiectos compescas, & ab omni-
bus scandalis, vel factiosis conspiracyibus usque ad no-
stram discussionem (sicut per te speramus) remoureas. Quia
nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse iudicia,
nec illi, nec tibi contra iustitiam fauere studemus. Huius
rei gratia (mediante sancti Spiritus gratia) per nostræ me-
diocritatis studium, quidquid illud est, volumus diffiniri;
& quod adhuc suspendendum duximus, iam digna delibe-
ratione, iuuante Domino, dispensationis nostræ iudicio
terminabimus. Data Kalendis Septembbris, indictione x.